



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

IX. Vnde agnoscenda sit causa adæquatè sufficiens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

ac intellectus, & lumen gloriæ, quia intellectus habens lumen gloriæ tantum dicit in recto intellectum, & intellectus, & lumen gloriæ dicit utrumque in recto, ratione cuius distinctionis diuersa possunt prædicari de illis, hæc est enim vera prædicatio: *Intellectus habens lumen gloriæ est causa partialis visionis.* Et hæc est falsa: *Intellectus, & lumen gloriæ sunt causa partialis visionis.* Similiter hæc est vera prædicatio: *Intellectus, & lumen gloriæ sunt principium adequatum visionis.* (loquor de principio adequato creato) & hæc est falsa: *Intellectus habens lumen gloriæ est principium adequatum visionis.* De his dixi Controuers. 5. puncto 1. num. 6. Vbi dixi totum non distingui à partibus, & vnione simul sumptis, distingui autem à partibus virtutis simul sumptis, aliud enim est partes & vnio, aliud partes vnite. Secundum hanc doctrinam faciliè intelliges quomodo potentia obedientialis ut eleuata, verbi gratia, intellectus ut eleuatus per lumen gloriæ, non sit principium adequatum visionis, etiam si intellectus, & lumen gloriæ sint principium adequatum illius. Vide dicta de his significatis in recto, & in obliquo Controu. 5. Punct. 4. citato.

PUNCTVM IX.

Vnde agnoscenda sit causa adequatè sufficiens.

I Hic quæstioni occasionem dedit P. Vasquez 1. part. tom. 1. disput. 4. cap. 2. & 4. vbi negat præter lumen gloriæ requiri in intellectu beati aliud comprincipium ad visionem intuitiuam Dei, vel concursum alium præter generalem omnium causarum, ex eo quod visioni correspondent ex parte luminis gloriæ, & intellectus omnia prædicata quæ sunt in ipsa, visio enim habet vitalitatem, quæ intellectui tribuitur, habet supernaturalitatem, & esse circa tale obiectum, quæ correspondent luminis gloriæ. Doctrinam hanc infert Vasquez ex principio valde sibi familiari, videlicet causam adequatam esse illam, cui correspondent omnia prædicata, quæ sunt in effectu. Ne putes correspondentiam hanc inter prædicata effectus, & causæ ita esse intelligendam, ut hoc prædicatum dependeat realiter ab hac causa, & non ab alia, & illud ab illa, & non ab hac, aduertere oportet nostrum Vasquez, non asseruisse vitalitatem actus dependere ab intellectu, & non à lumine, & supernaturalitatem à lumine, & non ab intellectu, quia vitalitas, & supernaturalitas sunt in visione omnino idem, & implicat vnum ex his prædicatis dependere ab aliquo principio, à quo physice, & realiter alterum non dependeat. Quia tamen nihil vitale potest produci, nisi principium saltem inadæquatum sit vitale; neque supernaturale, quin principium actuum saltem partiale sit etiam supernaturale, ideo supernaturalitas effectus tribuitur principio partiali, quod est supernaturale, & vitalitas alij comprincipio, in quo ratio vitalis reperitur, licet effectus secundum se totum à qualibet causa partiali inadæquatè, & ab omnibus adequatè physice eodem modo dependeat. Ex quo inferitur hanc attributionem formaliter esse per rationem cum fundamento tamen in aliquo reali, videlicet non posse produci quid supernaturale à principio adequato iure naturali, neque quid vitale à principio adequato non vitali.

2 Doctrinam hanc approbat, & explicat Hurtad. disput. 9. sect. 5. quam multi ita firmiter amplectuntur ut virtutem actiuam pluribus entitatibus respectu aliarum negent ex eo præcisè, quod nullum prædicatum agnoscant in effectu, quod illis correspondeat. Existimo tamen non ita vniuersaliter esse admittendam, sunt enim plures effectus, quorum causas non possumus hac prædicatorum correspondentia metiri, quod faciliè ostendo. In causis vniuersis mater habet omnia prædicata, quæ habet filius, & nulla potest formalitas assignari in prole, quæ non reliceat in matre, & tamen iuxta communem sententiam, mater est causa inadæquata filij: ergo non est bona consequentia, omnia prædicata, quæ sunt in effectu relucere in hac causa illius: ergo hæc est causa adequata. Dices hoc prouenire ex modo speciali, quo producuntur animalia per transmissionem feminis, quæ nisi inter marem, & foeminam esse non potest. Bene est: modus, quo

producuntur animalia sufficiens est, ut causa, cui correspondent omnia prædicata, quæ sunt in effectu non sit adequata: ergo non rectè inferitur in animalibus, huic causæ correspondent omnia prædicata, quæ sunt in effectu: ergo est causa adequata. Deinde sicut ratione huiusmodi, quo animalia producuntur, deficit consequentio prædicta in hac materia, sic ratione alijs specialis modi, quo alia entitas producatur, vel ratione alijs intrinseci prædicari, quod habet effectus, poterit in alia materia deficere. Dices hanc correspondentiam non futuram formaliter, sed eminenter. Sed hanc solutionem efficaciter ita-
tim reijciam.

Accedo ad causas æquiuocas, in quibus correspondentia formalis non reperitur, quia effectus est diuersæ rationis à causa & prædicatum specificum illius in causa non reperitur. Prædicata effectus eminenter correspondere causæ æquiuocæ, nihil aliud est, quàm eminenter contineri effectum in causa, & contineri effectum in causa, nihil aliud importat, quàm causam habere virtutem ad effectum producendum: ergo idem est formaliter prædicata effectus correspondere causæ, & causam eminenter continere effectum, & causam posse producere effectum: & si velis hæc mente præscindere, notius omnibus erit causam posse effectum producere, quia debent à posteriori cognosci ex productione, & hæc quod primò, & clarius inferri, est potentia ad ipsam, hæc enim consequentia: effectus producit à causa: ergo potest illum producere, neque rusticum latet; hæc autem, effectus producit à causa: ergo causa effectum continet eminenter, ad terminorum apprehensionem peritorem hominem desiderat, etsi his apprehensis, æquè clara sit, ac præcedens: ergo non rectè explicatur ratio causæ adequatæ per correspondentiam eminentiorem adequatam causæ ad effectum, cum non explicetur ignotum per magis notum, sed per æquè ignotum, vel ignotius. Ut rem explicem, inquiram Sol sit causa adequata auri: Si affirmes, ex eo quod illi correspondeant omnia prædicata, inquiram, ex quo capite tibi notum sit correspondere omnia prædicata? Si neges eo quod illi omnia prædicata auri non correspondeant, rogabo, unde noueris non correspondere omnia prædicata auri Soli? nullum tibi supererit fundamentum ad affirmandam, vel negandam hanc eminentiorem correspondentiam, ex quo non posses causalitatem adequatam, vel inadæquatam Soli concedere respectu auri hac exclusa prædicatorum correspondentia.

Respondere posses ex doctrina Hurtadi §. 53. tunc effectum non contineri adequatè in causa æquiuoca, etsi illo perfectiori, quando in effectu continetur ratio aliqua, vel causa indiget alio comprincipio determinatiuo, ratione cuius causa perfectior effectum non potest adequatè illum producere; tunc verò causam æquiuocam continere effectum adequatè, quando est perfectior illo, & ipsa nullo indiget determinatiuo, neque effectus ex modo, quo producit indiget dependere ab alio. Hac ratione explicatur quomodo intellectus neque anima, siue ab intellectu distincta, siue identificata cum illo non sit causa adequata visionis Dei, neque cuiusvis cognitionis creatæ etiam illa perfectior sit, quia ad producendam quamcumque cognitionem indiget anima determinatiuo alio comprincipio, & ad producendam visionem intuitiuam Dei indiget hoc determinatiuo: & insuper visio indiget alio comprincipio supernaturali, ratione cuius non potest adequatè produci ab anima naturali secundum suam substantiam. Eadè ratione explicatur, quomodo intellectus instructus lumine gloriæ, non indiget alio comprincipio ad producendam visionem, quia neque ex parte effectus est aliquod prædicatum, ratione cuius petat ab alio comprincipio dependere, neque intellectus instructus lumine gloriæ alio indiget determinatiuo, principium enim constitutum ex intellectu, & lumine, physice perfectius est visione, ex quo inferitur illi correspondere omnia prædicata visionis, & esse principium adequatum illius. Totam doctrinam admitto, sed adhuc mihi difficultas. Vnde scire poterimus, hoc principium indigere alio determinatiuo, & illud non indigere? hunc effectum habere speciale prædicatum, ratione cuius petat dependere ab alio principio, & non possit adequatè dependere ab hoc, quod perfectius est effectui producendo? Ratio aliqua assignanda est ad hæc cognoscenda, ex qua dicam ego cognosci causam adequatam, vel inadæquatam effectus.

Rem

Rem ego sic compono: Prædicata substantiæ spiritualis, supernaturalis, & vitalis reperta ex parte effectus exigunt correspondentiam formalem ex parte causæ, siue causa secundum alia prædicata sit vniuoca, vel æquiuoca, ita ut nunquam possit substantia produci adequatè ab accidenti, neque entitas spiritualis à principio adequatè materiali, in quo non includatur aliquod principium inadæquatum spirituale, neque supernaturalis effectus à principio adequatè naturali possit dependere, aut vitalis actio à principio adequato non vitali. Ex hoc fit respectu effectuum, in quibus aliquod prædicatum ex his reperitur, rectè inferri non esse principium adequatum illud, in quo simile prædicatum non relucet. Sic dicimus sensationem internam non esse principium adequatum speciei impressæ vel expressæ in intellectu productæ, quia sensatio est materialis, & species producenda spiritualis. Similiter dicimus intellectum non posse esse principium adequatum visionis intuitiue Dei, quia hæc est supernaturalis, & intellectus est potentia naturalis, eodem modo dicimus non posse habitum, aut speciem impressam esse principium cognitionis, quia hæc est vita in actu secundo essentialiter dependens à vita in actu primo, & species impressa, seu habitus talis non est. Eadem ratione dicimus dispositiones non esse causam adequatam formæ substantialis, quia non potest hæc produci à principio non substantiali. Forsan erunt alia prædicata, quæ hanc correspondentiam formalem exigant inter causam, & effectum, ex his tamen, quæ de facto dantur nullum aliud mihi occurrit, quod hanc correspondentiam desideret, quia prædicatum materiale illam non exposcit, motus enim materialis calorum producit ab Angelo tanquam à principio adequato, & entitas accidentalis adequatè producitur à substantia, & effectus naturalis rectè potest à causâ supernaturali procedere. De aliis prædicatis minus vniuersalibus certum est hanc correspondentiam non desiderari, ut patet in omnibus effectibus æquiuocis, aurum enim à non auro producit, & vitalis operatio à principio, quod non est vitalis operatio, & sic in aliis. Si dicas, cur hæc prædicata hanc correspondentiam exposcant de singulis specialis est ratio propriis tradenda locis. Effectus supernaturalis non potest procedere à principio adequato naturali, quia de ratione entis supernaturalis est non esse debitum enti naturali, esset tamen illi debitum, si ab illo posset adequatè produci. Ratio vitæ in actu secundo essentialiter dicit dependere à vita in actu primo, ex quo repugnat dependere à principio adequato non vitali. Substantia perfectior est omni accidenti, & ita ab illo non potest adequatè produci. Effectus spiritualis non potest à causâ adequata materiali secundum se totam procedere propter maiorem perfectionem, & maximam inproportionem, quæ est inter materiale, & spirituale.

Est etiam nobis aliud fixum principium in Philosophia: omnem causam efficientem adequatam debere esse saltem æquè perfectam cum effectu. Ex quo rectè inferimus: hæc entitas est imperfectior illa: ergo non potest principium adequatum esse illius. Insuper aliud etiam principium certum esse debet, videlicet non esse multiplicanda principia alicuius effectus sine speciali fundamento. Ex quibus omnibus has ego regulas deduco. Quotiescumque est in effectu aliquod prædicatum ex supra assignatis, videlicet substantiæ supernaturalis, spiritualis, vel vitalis, omne principium in quo simile prædicatum non correspondet formaliter non potest esse principium adequatum illius. Quotiescumque effectus est perfectior hoc principio effectiuo, à quo dependet, tale principium est inadæquatum respectu effectus. Quotiescumque hoc principium est perfectius effectu, & formaliter includit quodcumque ex quatuor prædicatis substantiæ supernaturalis, vitalis, spiritualis quod est in effectu, & non apparet certum aliquod fundamentum ad assignandum aliud principium necessarium requisitum ad effectum, censendum est tale principium esse adequatum, quia ex vna parte habet omnia illa, quæ scimus in omnibus entitatibus, requiri ad rationem principij adequati, & ex alia non est fundamentum ad multiplicandum aliud principium pro hoc effectu, neque sine necessitate multiplicandum est.

Ex his constat rectè inuoluisse nostrum Vasquez ex correspondentia prædicatorum, quæ est inter intellectum, & lumen cum visione intuitiua Dei, intellectum, & lumen constituere vnum principium adequatum visionis, quia

ex vna parte habeat correspondentiam, quam scimus requiri inter causam & effectum, & ex alia nullum apparet fundamentum ad alia principia multiplicanda pro visione producenda. Ex quo fundamento negatiuo, & ex positiua correspondentia, & perfectione principij intellectus, & luminis rectè inferitur nullam aliam causam requiri ad producendam visionem. Hæc omnia principia semper ex parte antecedentis ponenda sunt, ut rectè inferatur adequatio causæ iuxta doctrinam supra traditam.

Ex hoc infero ad cognoscendum an intellectus sit principium adequatè productiuum cognitionis naturalis, examinandum esse, an sit fundamentum aliquod ad constituendum aliud principium effectiuum requisitum ad talem cognitionem: quod si appareat dicendum est intellectum esse principium inadæquatum, sin minus tota virtus actiua respectu cognitionis naturalis danda est intellectui. Fundamentum, quod reperiri potest ad constituendum aliud comprincipium, est indifferentia, quam habet intellectus ad cognoscendum hoc vel illud obiectum, ex quo inferitur indigere alio determinatiuo ad producendam cognitionem circa tale obiectum. Dicit aliquis species seu phantasmata posse hanc præbere determinationem sine influxu actiuo, qui dicere tenebatur intellectum esse principium adequatè effectiuum cognitionis naturalis. Dicit alius, hanc determinationem non posse exhiberi, nisi per influxum actiuum principij determinantis: tenebitur hic dicere species determinantes intellectum ut versetur circa tale obiectum actiuè concurrere ad cognitionem, & intellectum esse principium inadæquatum illius.

Ex hoc infero non rectè arguere aliquos: substantiæ productæ correspondent omnia prædicata in substantia producenda: ergo accidentia non concurrunt effectiue ad productionem substantiæ. Si enim loquantur de correspondentia formali omnium prædicatorum, neque requiritur inter causam & effectum, neque arguit potentiam adequatè productiuam. Si loquantur de correspondentia eminentiali petunt principium, & ignotum per ignotius explicant. Argumentum ut rectè procedat ita debet fieri. Ignis habet correspondentiam formalem cum alio igne omnium prædicatorum, quorum correspondentia formalis desideratur inter potentiam, & causam, est æquè perfectus cum alio igne, nullum est fundamentum ad affirmandum requiri productionem accidentium procedere effectiue à substantia: ergo accidentia effectiue non concurrunt. Quod si quis exhibeat fundamentum, quo mouetur ad dicendum accidentia effectiue concurrere ad substantiam, illorum propugnatio, vel impugnatio rem dirimet. Similiter non rectè arguunt actui correspondent omnia prædicata in potentia, & speciebus: ergo habitus acquisitus non dependet ab habitu. Qui enim voluerit defendere habitum acquisitum concurrere effectiue ad hunc actum facile exercitum, dicit non posse hanc facilitatem prouenire, nisi ab aliquo principio distincto à potentia, & speciebus: quod si defendat, vel probet, rectè defendet, vel probabit habitum effectiue concurrere ad actus.

Insuper noto, illud fundamentum negatiuum dupliciter posse poni ex parte antecedentis. Primò si dicatur: nullum est fundamentum, ex quo constat requiri aliud comprincipium ad effectum, & tunc tantum licebit inferre: ergo principium, quod cognoscimus perfectius effectu, & cum correspondentia formali requisita potest esse principium adequatum. Alio modo potest poni illud fundamentum negatiuum, si dicatur, nullum est fundamentum, ex quo constat posse aliud principium influere in effectum, & tunc inferri poterit: ergo hoc principium perfectius effectu habens correspondentiam requisitam necessariò est causa adequata effectus. Hæc ratione inferimus intellectum instructum lumine gloriæ esse causam adequatam visionis, quia non solum non habemus fundamentum ad dicendum necessariò requiri aliud comprincipium ad visionem, sed neque ad dicendum dari aliud comprincipium potens in illam influere, & non inferimus ex eo quod calor sit æquè perfectus cum alio calore, & habeat omnem correspondentiam requisitam ad causandum, necessariò esse principium adequatum illius, quia licet non requiratur aliud comprincipium ad producendum calorem, sunt tamen alia, quæ in eundem calorem possunt influere, sic calor ut quatuor, qui poterat esse principium adequatum caloris

caloris ut duo, sæpè est principium inadequatum illius, quia calori ut quatuor productio caloris ut duo sæpè adiungitur ignis, vel lux, quæ possunt in eundem calorem influere, quibus adiunctis attemperatur influxus caloris producentis cum influxu ignis, vel lucis, & non adæquate, sed inadæquate procedit à calore & adæquate à calore & igne, vel à calore, & luce, vel à calore, luce, & igne, si omnia tria principia productiva eiusdem caloris coniungantur.

PUNCTUM X.

An eadem entitas possit esse principium effectuum suorum ipsius per secundam actionem.

- I **P**rocedit tantum hæc difficultas inter eos, qui concedunt eundem effectum posse per duplicem actionem totalem dependere à principio effectivo, apud illos enim, qui asserunt tantum per unam actionem posse dependere, certum est hanc non posse ab eodem effectui procedere, quia omnis actio procedens ab aliquo effectui debet supponere effectum iam productum; unde antequam intelligatur hoc principium cum aliquo influxu ab illo procedente debet iam intelligi productum: ergo per productionem non procedentem ab illo: ergo nullo modo poterit in se ipsum influere, si non potest influere in se ipsum iam ab alia causa productum. Procedere tantum potest difficultas admissa possibilitate duarum actionum totalium in eundem effectum, an possit effectus postquam iam est productus ex vi huius actionis se ipsum per aliam actionem producere.
- 2 **A**ssumit Arriaga disput. 12. Metaphysic. sect. 2. sequutus P. Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 50. sect. 4. ad finem, §. sed ex hac solutione, ubi expressè affirmat non esse inconueniens idem se ipsum producere per secundam actionem, licet oppositum non leuiter insinuet doctissimus P. disput. 12. Metaphysic. sect. 2. ubi docet de ratione omnis causæ esse influere in aliud natura distinctum.
- 3 **A**cquiesco omnium Doctorum sententiæ neganti idem adhuc per secundam actionem posse se ipsum producere, quam sic probo. Nihil potest se ipsum causare in genere causæ materialis: ergo neque in genere causæ efficientis. Responderet Arriaga nullam materiam posse aliam similem materiam materialiter causare, ac proinde mirum non est non posse se ipsam causare in illo genere causæ, in qua non potest causare aliam eiusdem speciei, independentem enim ab identitate numerica præcisè ratione identitatis specificæ repugnat hæc causalitas eiusdem entitatis in se ipsam, quæ repugnantia non est in principio effectivo, quia unum principium efficiens producit aliud eiusdem speciei. Ex hac doctrina argumentum retorquet Arriaga contra arguentem: una materia non potest materialiter causare aliam eiusdem speciei: ergo unum effectiuum principium non poterit efficere aliud eiusdem speciei. Antecedens est verum: consequens falsum: ergo mala illatio; hac vititur argumentum factum à paritate causæ materialis non potentis se ipsam materialiter causare ad causam efficientem non potentem se ipsam effectiuè producere. Duo continet hæc solutio. Primum est unam materiam non posse ab alia entitate materialiter causari, ex quo optimè inferitur non posse à se ipsa in hoc genere causæ procedere. Hoc verum est de materia prima, eo enim ipso quod sit materia prima dicit non esse receptam in alia & ipsam esse primum subiectum in nullo receptum. Ob hanc rationem non de materia prima, sed de omni causa materiali obiectionem produxi, de cuius conceptu non est causari ab alia causa materiali, quia quantitas est causa materialis plurium accidentium, & ipsa in genere causæ materialis dependet à materia. Aliud continet solutio videlicet nullam causam materialem posse dependere in genere causæ materialis ab alia eiusdem speciei, quod conuenit omnibus causis materialibus de facto existentibus respectu quarum rectè disparitatem assignat Arriaga inter causam materialem & efficientem, qua argumentum supra factum sufficienter solutum esse videtur.
- 4 **V**rgeo tamen argumentum supra factum: etiam si omnis causa materialis existens de facto æquiuoca sit cum suo effectui: numquam enim vidimus calorem ex calore educatum, neque quantitatem in quantitate receptam, non tamen est contra conceptum quidditatum causæ mate-

rialis esse eiusdem speciei cum effectui, quem possit materialiter causare, neque repugnat de potentia Dei absoluta dari duplicem qualitatem tantum inter se numero distinctam, & utramque distinctam in specie ab his, quæ de facto dantur, quarum una possit educi ex alia, licet utraque possit etiam educi ex alia causa materiali æquiuoca, sicuti modo ex duplici calore, quorum quilibet potest ab igne producere in genere causæ efficientis, potest in eodem genere quilibet illorum efficienter produci ab alio. Sic ego duplicem calorem specie distinctum à calore de facto existente, & utrumque eiusdem speciei suppono produci à Deo, quorum quilibet possit in genere causæ materialis à quantitate vel ab altero calore educi, & sic argumentor. Calor educitur à quantitate, à quo potest alius calor eiusdem speciei in genere causæ materialis procedere, non potest in hoc genere causæ propter identitatem numericam dependere à se ipso: ergo propter eandem identitatem non poterit idem calor, neque alia quilibet entitas à se ipsa dependere in genere causæ efficientis. Negabis forsitan possibilem esse calorem, qui possit educi ex alio calore, & causam aliquam materialem eiusdem speciei cum effectui, quem posset materialiter causare. Contra: nulla potest excogitari repugnantia inter causam materialem, & effectum eiusdem speciei: ergo sine fundamento negas diuinæ omnipotentis posse producere aliquam entitatem cum virtute caufandi in genere causæ materialis effectum eiusdem speciei. Si dicas repugnantiam dari inter causam materialem & effectum eiusdem speciei, illam assigna, & præsto aderit impugnatio, ego enim existimo nullam posse excogitari, cum de conceptu causæ materialis, ut supra dicebam non sit diuersitas specifica inter ipsam & effectum. Sed age iam do tibi repugnare causam materialem eiusdem speciei cum effectui, & suppono per impossibile dari, & tantum ex suppositione procedat argumentum quod sic conuenit. Etiam calor posset recipi in alio calore eiusdem speciei, non posset recipi in seipso: ergo præcisè quilibet alia ratione seclusa ex identitate numerica repugnat eandem entitatem recipi in se ipsa, ita ut si ex nulla alia ratione implicaret præcisè propter eandem rationem implicaret idem recipi in se ipso, seu causari à se ipso in genere causæ materialis, quod est idem: ergo ex eadem ratione repugnat, idem produci à se ipso seu causari in genere causæ efficientis. Alio modo totum univo verbo argumentum cingo, nulla suppositione facta. Præcisè ex identitate numerica quocumque alio secluso repugnat eandem entitatem recipi in se ipsa: ergo ex eadem repugnat fieri à se ipsa.

Aliter responderet Arriaga causalitatem causæ materialis esse unionem, quæ essentialiter respicit duo extrema unienda realiter distincta, causalitatem verò efficientis esse actionem, quæ non arguit hanc distinctionem inter principium & terminum. Hanc solutionem recipio facile ex dictis de causalitate materiæ, probavi enim formam dependere in genere causæ materialis non per unionem, sed per passionem; ex qua doctrina sic argumentor. Passio non distinguitur ab actione, sed non potest dari passio procedens ab hoc principio materiali terminata ad ipsam tanquam ad terminum receptum: ergo non potest dari actio ab hoc principio effectivo terminata ad idem principium tanquam ad terminum factum. Dices recipi ex se dicere esse receptum in recipienti, nihilque posse esse in se ipso, ac proinde inter receptum, & recipientem debere semper distinctionem intercedere. Contra: sicut recipi dicitur esse receptum in recipienti, sic fieri dicitur esse factum à faciente: ergo sicut non potest idem recipi in seipso, ita non potest fieri à se ipso, non enim appareret ratio propter quam maior distinctio debeat intercedere inter recipientem & receptum, quam inter facientem, & factum, & inter illud, quod est, & illud, in quo est tanquam in subiecto, & illud quod est, & illud, à quo est, tanquam à principio. Profectò nullam ego disparitatem rationis inuenio quapropter consequentiis diceret ad sua principia qui affirmat idem posse fieri à se ipso non repugnare ex identitate numerica idem recipi in se ipso, ne tamen in hoc consequens vi consequentiæ trahatur, negandum est antecedens, mihi quidem difficile est idem fieri à se ipso, & paradoxum sapit dici idem in se ipso recipi posse.

Secundò esse de ratione principij producentis distinctionem à principio producto, probatur ex Patribus, & Doctoribus Scholasticis, qui omnes inferunt distinctionem personarum